

11-347194

R. 25.852

Foll. 21-32

ORATIO

CORAM CLARISSIMIS ET ORNATISSIMIS VIRIS

RECTORE AC DOCTORIBUS

IN APERTIONE GYMNASII COMPOSTELLANI,

RECITATA

DIE 18. OCTOBRIS ANNI DNI. 1826.

A D. D. VINCENTIO REY,

Litterarum humanarum Professore.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE SANTIAGO



00240937



TYPIS D. JOANNIS FRANCISCI MONTERO.

ORATIO

IN QUAE DAM REBUS

RECTORIBUS AC DOCTORIBUS

UNIVERSITATIS BAVARICAE

Praecipiamus omnia, ut saltem plura fiant.

Quintil. Instit. orat. lib. 1. cap. 10.

IN QUAE DAM REBUS

RECTORIBUS AC DOCTORIBUS

quidem optimo consilio naturae Auctor effecit, ut cum societati maxime necessariae sint, ipsae debita laude non fraudentur, ac ita inflammentur hominum animi ad eas alacrius excolendas.

Hunc sane admirationis sensum in me ipso expertus, DIGNISSIME RECTOR, Sapientisque Co-
odoctores, singulares mentis animique dotes, res praeclarè à vobis gestas praedicare non semel audem, libenterque pro viribus meis exornarent nisi cognoscerem, cum de vestris laudibus quamquam verissimis, et omnium sermone celebratissimis nonnulla dicuntur, id fieri cum aliqua vestra molestia oportere, cum ut quisque laude dignissimus est, ut minime libentè laudes suas audire soleat.

Et Vos dilectissimi scientiarum candidati, Ecclesiae Dei, et Reipublicae spes dulcissima, ipsarum doctrinam combibite, ad cognitiones acquirendas, quae vobis aliquando erunt necessariae, ut communi Ecclesiae, et Reipublicae bono, et vestrae aliorumque saluti efficacius allaboretis. Antiquorum et recentiorum lectionem, qui Reipublicae, et christianas veritates diligen-

3
tius, teniorique animi affectu exposuerunt, jun-
gite. Vos non decipiat compensandi in posterum
studia spes inanis, quae aetate ipsis idonea, vel
omissa, vel neglecta fuerint. Eo enim magis in-
valescit laboris fastidium, quo molius ipsi indul-
getur, et natura sic comparati sunt homines, ut
ea vix unquam bene calleant, quae teneris ab
annis non didicerunt. Contra si animum studiis
adjungere statim à juvenili aetate consueveritis,
totius vitae occupationem simul et delicias effi-
ciet haec salubris exercitatio; vestro ministerio
majorem reverentiam et uberiores fructus; ves-
trae juventuti tutum adversus pericula praesi-
dium, et senectuti dulce solatium afferet. Erunt
qui vos ab aliquarum scientiarum studio abster-
reant, qui eas vobis exhibeant veluti abstrusas,
jejunas, ingratas, quarum methodo contrahitur
ingenium, gustus corrumpitur, et exaescit ima-
ginatio, vosque Reipublicae et Ecclesiae utilio-
res fore, humanas litteras excolendo, in quibus
non veritas, sed victoria potissimum quaeritur:
at vobis fucum non faciant insidiossi illi ser-
mones.

Recogitate nullum esse societatis officium, quod praevia quaedam studia, et doctrinam sibi propriam non postulet: neminem esse posse vel Magistratum, nisi leges, vel Medicum, nisi morbos et remedia noverit. Si vero sacrum ministerium vobis in deliciis est, multo magis necesse est illos qui tanta dignitate exornentur, scientia pollere ad obeundas ipsius functiones requisita. Hoc vero studium non vos à litterarum humanarum commercio usuque removet, quin etiam ad utrasque amico foedere sociandas, vos hortor, solliciti esse debeatis, et vobis deligenda litteratura, quae limando iudicio simul et nutriendae pietati inserviat. Quis enim bene natus non indignissime ferat, et scriptorum et sacrorum aliquorum Concionatorum ex bonorum auctorum contemptu, aut eorum lectionis defectu foedam inscitiam? Hi enim spinis quibusdam omnia exasperantes, nullis dictionis et sententiarum ornamentis delectant, nec majoribus affectibus ad veram pietatem inflammant. Sed de his, et certo tradendarum scientiarum constituendo ordine non loquar, cum Regis Nostri sapientissimi, hu-

manissimi, atque omnium litterarum amantissimi jussu id non solum animo agitasse, verum etiam scriptis mandavisse conspiciamus, facileque rectam viam qua perveniendum ad veras scientias, suis auspiciis, aliis indicari, praescribi, et loco motam perturbatam veterem, et optimam instituendi rationem in gradum et pristinam dignitatem reponi posse speramus.

Quapropter à vobis fugienda futilia scripta, quorum illud vel minimum est vitium, ut solidioris lectionis fastidium afferat, tum maxime licentiora opera quae corruptelam in mores, et saniora quaelibet principia invehunt. Ex his enim et fidei vestrae eo certius periculum immineret, quod nondum sitis ad eos refellendos doctrina satis instructi, et praeterea vestris animis insideant cupiditates, quae tacito impulsu ipsis patrocinantur.

Cum me animo et cogitatione ad exquirendas hujus penuriae causas attentius converto, longe maximam scientiarum pestem adferre mihi videntur qui pro gravioris notae auctoribus ineptissimos libellos (qui quotidie primo cogitationis

impetu, tanquam è satis cadmi serpentis dentibus emergunt), imperitae juventuti obtrudunt. Cum quae tenellis annis primum insederunt, vitiosa praesertim, vix unquam mutari contingat. A prodigiosis hujusmodi libellis par est adolescentes esse primis annis remotissimos, et melioris notae Auctoribus qui acuere et alere ingenia possent, addictissimos, ut luce clariora omnia, omnia admirabilia, jucunda, amabiliaque juvenibus reddiderint.

In illos itaque rei litterariae scopulos cum semel incurrunt nullo judicio praediti adolescentes, vel cum voluptatum studio laborem detrectant, vel ad quaestuosas artes praeproperate festinant, facile tanquam naufragio studiorum omnium facto verae sapientiae curam abiiciunt: non alia quidem dementia, quam qui rivulis, aut potius turbidis lacunis contenti, limpidissimos fontes, et pleno torrentes albeo fluvios aspernantur. Quid enim his qui ante tempus agraviū auctorum monumentis abducuntur contingere putandum est? His certe similes qui spuris ejectis, et certae nutricis uberum beneficio

privati, nunquam virile corporis robur colligunt. ⁷ Qui poterunt avaritia atque ambitione quasi abortu quodam ad honores, et sordidam advocationum stipem praemature abrepti, sibi utiles aut patriae cives salutare esse? Nulla severiore disciplina in tuto collocatis moribus, nullo subnixi bonarum scientiarum fundamento, effreni vitae licentia, et falsa doctrinae persuasione tumentes, cum se ad gubernacula Reipublicae tractanda evehi vident, quid non sibi licere autumant? Quam insolescunt! In quae flagitia sese non ingurgitant? Quid foecunditate inscitiae suae immundo contactu veluti Harpyae Virgilianae non contaminant? Quid discordiis non committunt, et in rem privatam convertunt? Itaque pro pacificatoribus, discordiarum flabella: pro religionis et legum assertoribus, proditores et perniciosissima busta: pro civibus honestis, utilibus et salutaribus, probra, pestes et funera sunt Reipublicae.

Harum ergo rerum causa ad veram bonamque lectionem vos hortor, Adolescentes, et ne in posterum libellorum novorum perversitate de-

pravari intendatis. Insignis cupiditas vobis esse debet vetusta cum novis exemplaria conferendi, cum doctis viris communicandi, animadversione digna notandi, obscura explicandi, deprabata reponendi et corrigendi. Haec me vehemens juvandae rei litterariae cura studiumque impulit. Adhuc enim experimur censores, qui frugibus glandem anteponunt, et de litteris non aliter quam de coloribus caeci judicant. Quis aliquo judicio praeditus diutius ferat?

Sed ad propriae, aliorumque utilitatem nihil proficiet hic labor, nisi ex veritatis dilectione tanquam ex fonte manaverit, nisi etiam vehementi illius cognoscendae desiderio incensi, quidquid ad eam inveniendam occurret impedimenti, amoveatis. Si enim veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. Cavendum maxime ne propriae sententiae obstinatio, partium studia cum veritatis amore confundantur; iste enim posterior ubi sincerus est, ac sapiens, indibulsam habet hanc indolem, ut mansuetus sit et pacificus. Nec etiam finem legitimum, nec circa prudentem illius assequendi

viam fallitur; hominis opiniones pro divinitatis oraculis non obtrudit; veritati cuidam speciali non studet cum alterius detrimento; sed omnes ita conciliat, ita defendit ut pacem nunquam in discrimen adducat. Ejus perturbatores si audiamus, non aliud sibi proponunt quam Reipublicae et Ecclesiae bonum; quasi vero Ecclesiae et Reipublicae utilitas, animus, regulae non reproberent quidquid acerbum aut violentum est.

Cavete, Amantissimi Candidati, ne in vestrarum opinionum delectu fallamini, et ne in ipsa quidem veritatis defensione modum excedatis. Estote semper solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis cum iis quorum sententiae à vobis discreparent. Semper memineritis vos aliquando futuros esse ministros pacificantes per sanguinem Crucis, sive quae in terris, sive quae in Coelis sunt.

Tandem attendite, Dilectissimi Alumni, salutis scientiam à Patre luminum, cujus est munus deffluere; et perinde ad eam obtinendam, lectioni et meditationi preces esse adjungendas. Memineritis praeclaras animi dotes, longos la-

bores, et omnes humani ingenii conatus esse
veluti solum fertile et bene preparatum, quod
tamen ut fructus ferat, rore Coeli perfundatur
necesse est. Sancti Ecclesiae Doctores ex illo
coelesti fonte scientiam uberius hauserunt, quam
ex hominum scriptis. Eorum exemplum vobis
imitandum proponite, si eruditionem cum hu-
militate conjunctam, perinde ac illi assequi ve-
litis. Orationem et laborem duas quasi pennas
adhibete, quibus subnixi ad veritatum cognitio-
nem assurgatis, et unusquisque vestrum cum
Propheta divinam opem his verbis imploret:
Disciplinam et scientiam doce me.